

## §. XVIII.

Reliqua argumenta, quibus suam sententiam, Icti celeberrimi firmandam esse censuerunt, aut nullius, aut certe minimi momenti esse videntur. Addunt nempe: semper ita pronuntiatum esse, saltem non constare de contrario. Itane reuera pronuntiatum fuerit, ego quidem nescio, neque adhibita licet summa diligentia, ea de re certior reddi potui; ut errare non videar, si id plane negem. An vero ICTis ea de re constiterit, valde dubito; hoc certe affirmare possum, ex his actis, ad eos transmissis, ea de re plane non constitisse. Alterius autem litigantium partis, quæ ne *nominare* quidem unicam rem, ita decifam, potuit, tantum abest, ut rei ita iudicatæ exemplar, ad acta exhibere potuerit, mero asserto, ecquis ICTus fidem censebit habendam esse? Præterea neminem, constat, neque iudicem, neque arbitrum existimare debere, consultationes, quas non rite iudicatas esse putauerit, sequendas esse, cum non exemplis, sed legibus iudicandum sit, & omnes iudices, legum sequi vestigia debeant; x) ut adeo, quod non ratione introductum, sed errore primum, dein consuetudine obtentum sit, in aliis similibus non obtineat. y) Res iudicatæ enim, tantummodo inter partes ius faciunt, aliis vero nec prodesse possunt, nec nocere valent. z)

## §. XIX.

x) l. 13. C. de sent. & interloc.

y) l. 39. D. de legib.

z) tit. C. inter al. acta vel iud. PVFEND. introd. in proc. civ. p. 3. c. 22. § 16. adde PÜTTER *Beytrage zum teutschen Staats- und Fürsten-Recht*, 2 Th. 35 *Beytrag*.